

Calderon de la Barca, Pedro
La cisma de Ingalaterra
Ulbrich, Hugo
Quaestiones calderonianae.

QUAESTIONES CALDERONIANAE.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM
ORDINIS IN ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA
RITE CAPESSENDOS
SCRIPSIT
ET UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS
DIE VII. MENSIS MARTII ANNI MDCCCLXV
PUBLICE DEFENDET

HUGO ULBRICH
SILESIUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

BREUSING, STUD. PHIL.
THOMAE, STUD. PHIL.
KINDLER, SEM. PHIL. SOD. ORD.

BONNAE
FORMIS CARTHAUSIANIS.

VIRO NOBILISSIMO

LIBERO BARONI

FRIDERICO

VON DER LEYEN-BLOEMERSHEIM

Iam anno MDCCCXIX Fr. Guil. Val. Schmidt, Berolinensis universitatis litterarum celeberrimus professor, libellum edidit, cui inscripserat titulum: „Ueber die Kirchentrennung von England, Schauspiel des Don Pedro Calderon de la Barca." Dramatis fabulam in eo docuit, fontes poetae indagavit, dictionis excellentiam perpaucis versibus in vernaculum sermonem optime versis comprobavit, aliquot notas ad textum emendandum adiecit. Integra tamen dramatis versio apud nostrates adhuc desideratur, apud Transrhenanos anno MDCCCXLIII Lutetiae Damas-Hinard auctore facta est. (Chefs d'oeuvre du théâtre espagnol. Paris.)

Itaque, si opus tam praeclarum nostro sermone interpretarer, operae pretium me facturum ratus, primam versionis partem, primum ex tribus actibus continentem, anno praeterito confectam scholae Crefeldensis, ubi tunc munere fungebar, programmati annuo adiciendam amicis suasoribus prodidi. Sperabam paucis mensibus post totum opus teutonice expressum lectoribus me daturum esse. Variis autem rebus impeditus, quominus inceptum perficerem, hanc dissertationem, qua summos philosophorum honores me rite obtenturum esse spero, completae versioni praemittere audeo.

„La Cisma de Ingalaterra" (schisma Angliae sc. ecclesiae) haud dubie in numero optimorum illustrissimi poetae operum habenda est Ingeniosa fabulae interpretatio, dictio elegans nec tamen praeter modum exculta, alta sententiarum sapientia, sublimis quaedam tristitia sortis humanae contem-

platione nata, omnes res, quae pertinent ad humanae naturae subtilem observationem atque ad negotiorum peritiam, tantam manifestant ingenii maturitatem, ut primo conspectu neque adolescenti neque seni, sed viro ad id opus tribuendum adducamur. Nec deficiunt alia indicia, quae, ut ita opinemur, impellunt.

Namque litterae exstant a Calderone anno MDCLII scriptae (cf. Hartzenbusch, Biblioteca de Autores Españoles tom. IV pag. 676), quibus amicum quendam docet, posthac se opera dramatica nulla nisi ecclesiae sollemnibus dedicata (autos) aut a regibus imperata (fiestas reales) scripturum esse. Quae quam firma fuerit poetae voluntas, e Moreti comoedia „La ocasion hace el ladron", anno MDCLXIV in lucem prolata, colligere possumus. Ibi enim Calderonis mentio fit ut famosi poetae raro nec nisi aulae iussu scribentis, utque verba ipsa afferam, haec sunt:

Muy pocas (comedias) vemos
Sino cual y cual de alguno
Que por superior precepto
Escribe para Palacio; —
— — — — — — — — —
Ese es Calderon.

Neque ignari sumus, cur eo ipso tempore poeta receptui canendi consilium ceperit. Constat enim Calderonem anno MDCLI in ordinem adscitum esse ecclesiasticum sacerdotum quos dicebant naturalium Hispaniae capitis (Congregacion de Presbiteros naturales de Madrid), ut saeculum ferebat, cuius plurimos et optimos auctores, nisi extra ecclesiam essent nati, provectiore aetate intra sacra moenia refugium petiisse novimus.

Quum autem opus nostrum nec ad ecclesiae sollemnia celebranda destinatum nec aulae ludis paratum sit, veri simillimum est, eorum esse quae ante annum supra dictum scripta erant, sed minus verisimile, annum ipsum MDCLI originis tempus fuisse, ut Hartzenbuschius nos credere iubet.

Cui si fidem demus, Calderon eiusdem anni brevi spatio paene trientem operum suorum omnium scripserit: neque enim minus viginti octo dramata, quorum plurimis summa laus datur, eidem anno invenimus adscripta. Attamen nos non falso iudicare, si operis originem in illius termini proximitate ponamus, ex his intelligi posse existumo.

Nullam enim nostrae tragœdiae invenimus mentionem in omnibus qúae poeta vivo apparuerunt editionibus. Inter quadraginta septem dramata, quibus quattuor libri annis saeculi XXXV, XLI, LXIV, LXXII ex ordine ab auctore comparati sunt, itemque in quinto tomo, quem poeta ignaro invitoque Antonius quidam la Caballeria Barcelonae emiserat, titulum operis frustra quaerimus. Posthuma demum editio a Vera Tasis y Villarroel viro optimo et Calderoni amicissimo opus nostrum continet. Id suspicioni locum dare posset, Calderonem auctorem non esse, nisi ipse de hac re omne dubium sustulisset enumeratione operum suorum, quam fecit in litteris Duci a Veragua die XVIII mensis Iunii anno MDCLXXX scriptis. Qua enumeratione Ducis precibus obsequens libros suos veros a falsis fraudulose nomine suo ornatis discernendi illustri amico copiam daturus erat. Centum novem titulorum, quos ibi enumerat, nonagesimus septimus noster est. Ex eo autem numero, quamvis suspicari liceat, nihil de originis anno concludendum est, quum respectis operibus, quae quibus annis composita vel acta sint constat, enumerationis rationem chronologicam non esse facile perspiciatur. Sed opus tam insigne, si quidem exstitisset, inter priorum editionum dramata poetam ipsum vel amicos non curasse recipiendum, parum veri simile est. An forte credendum est, iuvenem poetam gloriae avidum viam tam egregiam laudis assequendae ex industria aspernatum esse?

Res non aeque se habet cum viro gloriam immortalem adepto. Illis temporibus, nisi ad honorem interesset, in universum poetae minime referebat, ut opera eius ex librariorum

officina emitterentur, quum id librario, non auctori, plerumque lucro esset: referebat solum, ne mutilarentur neve alienis libris nomen fraudulose inscriberetur. Utramque rem Calderon et libris et epistolis et histrionum oribus saepissime conquestus est. Quum autem ipse vir factus operibus suis imprimendis parum curaret, fortuitum erat, si librarii rapaces aut hoc aut illo dramate potirentur. Recte igitur iudicari puto, opus nostrum, quum certo post annum MDCLII scriptum non sit, paullo ante hunc annum scriptum esse. Atque argumentum quidem hoc est.

Dies primus.

Henricus octavus, Angliae rex, libro suo de septem sacramentis contra Lutherum scribendo intentus, lucubrationibus exhaustus, somno devincitur, dum matrimonii meditatur institutionem. Dormienti mulieris formosae figura conclave intrare, ad ipsum propius accedere, postquam tabellam recens scriptam laeva manu detersit, evanescere videtur. Revocat rex illam expergefactus. Cardinalis Vulseius respondet. Uterque somnium enarratum interpretatur, donec duae epistolae apportentur, altera a Leone decimo summo pontifice, altera a Luthero missa, quas rex ominose confundit, pontificalem pro Lutherana ante pedes deiciens, Lutheranam pro pontificali in capito ponens, in alterum auctorem reverentiam, in alterum contemptum ostenturus. Ad somnium a rege refertur confusio. Veram significat doctrinam papalis epistola in solo iacens, ut solidum praebeat fundamentum, et veram doctrinam dextra manus scribendo defensura erat. Sed laeva quae detersit et Lutheri epistola ad errorem - spectant, qui, ut fumus et aura levis, instabilis, sursum petit et veritatis lucem tenebris obscurare tendit. Epistolis responsurus Henricus novae tristitiae plenus recedit. Vulseius solus in scaena

manens pectus soliloquio reserat. Humili loco natus, cardinalis dignitatem, magnas divitias, regis familiaritatem adeptus, tam splendida sorte nondum contentus, sedem Romani pontificis occupare studet, metuens tamen, ne mulier se perdat, quum ab ea sibi exitium imminere astrologus praedixerit. Favoribus cum ambiunt Franciscus, Galliae rex, et Carolus imperator, bellum inter se molientes. Res ita moderari vult, ut Anglorum auxilia ei sint, qui papam reddiderit auxiliatorem. Meditationem hanc solitariam Thomae Boleni interrumpit adventus. Carolum adducit, Francisci regis legatum, ad Henricum aditum a cardinali petentem. A Vulseio cum superbia repulsus, legatus ex Boleno quaerit, quis sit superbus. Is cardinalis adumbrat picturam, deinde legatum orat, ut introductioni adsit Annae filiae ad aulam regiam recipiendae. Carolus annuit et abeuntem valere iubet. Audita in animo volvit, dum Dionysius familiaris meditantem adortus causam tristitiae postulat. Fatetur ingenti amore in eandem Annam se iam dudum incensum, viridissimisque coloribus amorem et amatam dipingit. Iam Lutetiae, ubi antea Bolenus pater legatus fuerat, pulcherrimam filiam se cognovisse eiusque amore delectatum esse. Nuptias ipsum desiderare, sed patre suo invito facere non audere, praeterquam quod vereatur, ne Anna fidei catholicae infida, novas Lutheri doctrina amplectens, ex dilectissima amica levis et intolerabilis uxor fiat. Pasquinus accedit ineptus, reginae, quae mox sequitur, principalibus mulieribus lateri circumdatis, adventum denuntians. Anna Bolena timide ingressa ante reginam se prosternit summaque humilitate gratiam agit, quod sibi in conspectum maiestatis venire licitum sit. Catharina regina, e superbis Hispaniae regibus nata, tantam humilitatem comiter deprecata iacentem relevat, Deo soli, non hominibus genua flectere fas esse dicens. Circumstantes, ad quas multa erga omnes urbanitate usa novam advenam adducit, congratulando certant.

Sermocinantibus Pasquinus vaticinandi aegra cupidine affectus se ingerit ambiguamque Bolenae praedicit fortunam.

Interdum Catharina coniugis absentis amoroso desiderio recordans ostium regii conclavis petit, ubi Vulseius, quominus introeat, deterrere vult: regem enim scribendi studiosum neminem admitti iussisse. Tali repulsae saevis verbis respondet regina, immensae cardinalem superbiae increpat, obscuram eius originem contumeliose admonet, supplicem precibus surda relinquens conclave intrat. Exterritus ille Mariae regis filiae opem implorat. Maria et ceterae nobiles mulieres parva commiseratione commotae prostratum festinanter deserunt. Ira rabida impletus Vulseius resurgens contumeliam inlatam secum dissertat. Mulierem esse Catharinam: ecce mulier fatalis, perniciosa, tam diu formidata. Reginae soli satis potentiae esse, ut virum perdat tam potentem, sed priusquam id paraverit, ipsam perituram. Carnificem patrem quae dixerit, carnificem filium eam esse visuram totius imperii et talis reginae. Ut abiit, Thomas Bolenus cum filia appropinquat, novis honoribus sapienter uti eam docet et modestam esse hortatur. Lamentationes autem et querulas filia ingrata emittit, quod ei etiam nunc superiores honorandi sint. Immensam pater filiae ambitionem et ingentem superbiam perspicit. Mala praesagiens monet, ne sibi quondam inter honorem et sanguinem suum terribilis optio facienda sit. Tristis ab illa discedit, quam Carolus legatus solam invenire studet. De longa absentia conquesti amorem denuo sibi obtestantur aeternum, vota suscipiunt, sponsionem matrimonii faciunt. Henrici regis adventus amantes turbat. Carolus recedit, ne inopportune ante illius conspectum veniat; Anna, quamvis tanta de humiliatione acerbissime doleat, maxima tamen adulatione ante regem prostrata favorem implorat. Henricus mulieris adspectu stupefactus somnii figuram subito recognoscit, amore violento inflammatus blandissimis verbis iacen-

tem surgere iubet eique coram regina et ceteris aulicis supremum dat favorem, ut ipsi coniugi piae iniciat invidiam. Dies sollemnis, dies gloriosus fuit illi, quae odio celato et dissimulata superbia omnes favores et gratulationes ingrato et immani animo accipit.

Dies secundus.

Dum Henricus cum Vulseio magnam animi perturbationem communicat, Pasquinus supervenit, regis tristitia animadversa tristibus regibus se pauperem ridentem praestare iactat et sua hilaritate exultans ludicram de Alexandro Magno inchoat narrationem. Cuius potentissimi imperatoris philosophum quondam docuisse impotentiam interrogando militem admiratorem, num ille orbis terrarum dominus minimum et vulgarissimum arvorum flosculum creare possit. Omnes igitur iisdem naturae legibus obnoxios neque sane quemquem fortunae reluctari. Regina appropinquante rex sciendi avidus, utrum Annam sit revisurus, cardinalem mulierum e longinquo ingressarum nomina poscit. Annae nomine audito triumphans gaudio, quidquid libet, illum petere iubet, se daturum pollicitus. Licentia usus Vulseius regis suffragium flagitat ad dignitatem pontificalem obtinendam, Leonem nuperrime defunctum esse certior factus. Regina, ut coniugis amoveat tristitiam, omnes suas et suarum offert artes collaudatas, quibus rex ad libitum utatur. Is in cardinalis aures insusurrat, quantum sit suum cum Anna saltandi desiderium. Tali familiaritate indignata Catharina Vulseium oblivione eius rituum aulicorum vehementer vituperata statim exire iubet. Iussui obediens ille ultionem sibi vovet quam maximam. Deinde Iohanna Seymera regis iussu cantilenam cantat, cui regina versus addit quos glosam dicunt, Hispanorum more ingeniose compositos.

Iam Bolenae est regem delectare. Saltatio placet. Dum saltat, callidissima femina ante pedes Henrici se proiciens totum occupat, cuius medullas mollis amoris flamma comedat. Cessante ludo negotia tractantur. Carolus legatus cardinali absente aditum regis tam diu desideratum assecutus, ut Maria filia Francisci regis filio in matrimonium detur, proponit. De re serio deliberatum iri respondetur. Interea Vulseius, ut Adrianum Caroli imperatoris praeceptorem, Leoni successisse comperit, de fortunae suae malignitate questus ultionis consilia meditatur. Regina quidem imperatoris consanguinea ei maxime invisa: sed in ea ulciscendi finis non est. Totam Angliam fide catholica extirpanda, novis rebus Lutheri introducendis instrumentum ultionis facturus est. Nec inopportune tunc obviam venit Bolena, quam mentem turbatam simulans cardinalis uti reginam salutando tentat. Ingentem superbiam eius cognitam in finem suum adhibere statuit. Postquam, si beneficii semper grato animo memor dissimulare et tacere possit, illam se ad summum imperium elaturum esse promisit; illa respondens: mulieris, inquit, dissimulare, Bolenae tacere est. Iusiurandum adicit, ut, si tanti beneficii unquam obliviscatur, solio deiecta carnificis manu ignominiose pereat. Mulieris naturam fallacem esse sibi ipsi solatio est, quum fidei paullo ante Carolo datae ingrata memoria redeat. Regis adventus novam menti eius inicit agitationem. Omnes coram illo astutissima femina adhibet artes, timidum ingressum, suspiria ambigua, voces humiles, vultus modestos, recusationes honestas, fugam mendacem, exitum qui amoris furorem provocet. Tali furore cruciatum Vulseius intrans, quid sit tanti doloris causa, simulata cum ignorantia et anxietate rogat. Re comperta, gravibus gravia morbis remedia opus esse dicit. Regis amorem se compellere, ut verum loquatur, haud ignarum, quam raro veritas regibus grata sit. Matrimonium enim Catharinae, quae antea fuisset fratris uxor, invalidum esse: sena-

tum imperii convocandum haud dubie paratum fore ad divortium sanciendum. Senatum convocare placet, convocandi cura cardinali permittitur, qui celeriter agendo rem ita se facturum sperat, ut, quantumvis cupiat, factum infectum rex reddere nequeat. Conscientia recti et amoris furor interea in Henrici pectore fere inter se conflictant. Medeae illud apud Ovidium: „video meliora proboque, deteriora sequor“ etiam in Henricum cadit. Iudae patriarchae exemplum recordatus, qui defuncti filii uxorem alterum filium in matrimonium ducere jusserat, neque pontificis maximi dispensandi copiae ignarus matrimonium suum nec bibliae sacrae nec ecclesiae auctoritate invalidum esse bene intelligit. Sed cupiditas, domina dura, imperiosa, veritatis lucem extinguit, recti conscientiam devincit, iniuriam committere cogit. Quum Superi insontium offendendorum animo incutiant insaniam, Superorum est insontes servare et, si placet, in offensorem offensas vindicare. Offendatur igitur Catharina, ut sit Anna regia coniux. Si mors nec virtute nec peccato vitetur, dulci peccato quam ardua virtute mori praestare. Mox senatu convocato scrupulis suis ob validitate matrimonii explicatis Henricus matrimonium cum Catharina dissolvendum pronuntiat, capitis poenam minatus, si quis ab hac opinione dissentiat. Ac frustra regem regina per Deos, per fidem incolumem servatam, per antiquum amorem, per amoris pignora obsecrat. Nihil valet in crudelem tam admirabilis eloquentia. Exit rex cum Vulseio, ceteri paullatim sequuntur, Carolus legatus divortii nuntium in Galliam laturus proficiscitur. Regina infelix Mariam mater filiam ad latus stantem amplexa solitudinis suae solatium fore sperat, quum Vulseius redux filiam a matre avulsam duris verbis ipsum sequi iubet. Consilii inops, ultima consolatione adempta, Bolenum senem, sapientem ac fidum regis ministrum lacrymis obortis precatur, ut auctoritate et experientia sua utens regis voluntatem a mala via devertere conetur; insanire regem, bene

merere qui sanis insanam verbis sanet mentem; neque enim durare posse illum furorem, de eo tantum agi, ut in praesentia contineatur. Temerarium antem Boleno videtur consilium, periculum vitae nimium sapientiae pretium. Ignaviam excusat et discedit. Maligno silentio adest Anna, quae paullulum ante humillimam reginae creaturam se iactabat, preces audit infortunatae, pro responso tergum vertit. Itaque ab omnibus praeter unam Margaretam, Reginaldi Poli cardinalis sororem, Catharina deserta aedes regias relinquit, ab imperii splendore in exilii tristitiam abit, verbis dolore repletis, malorum venturorum praesagis omnes valere iubet.

Dies tertius.

Dum rex nova sponsa fruitur et regina exul pia resignatione miseram vitam degit, Carolus legatus abhinc compluribus annis Lutetiae moratus, patre defuncto omne obstaculum, quominus fidem Bolenae datam solvat, remotum ratus, matrimonii regii ignarus Bolenam petitum subito in Angliam revenit. Illam regis uxorem esse cognito, priusquam urbem relinquat, semel tamen cum regina periura colloqui cupit. Simul atque aedes augustas intravit, Vulseium duos milites supplices repellentem conspicatus, ne ipse conspiciatur, cavet. Pasquinus supervenit ineptus et cum garrulitate sua somnium enarrat de cardinalis funere, quantulusque monachus sibi visus sit superbus in tenebrosi sepulcri vastitate. Maxime iratus garrulum propter tantam insolentiam domo exactum unquam in conspectnm venire Vulseius vetat. Nec Bolena ministri iram mitigat, quae supremi iudicis provinciam ut Boleno patri conferatur postulatum venit, eandem dignitatem sibi ipsi conferri Vulseio volente. Reginam igitur promissae admonet gratitudinis,

cuius monstrandae hunc locum esse: et iure ipsum tantum praemium poscere posse, patrem enim illi vitam, se dedisse imperii maiestatem. Sed talia argumenta Bolenam parum commovent, exhortationibusque his cum indignatione auditis molestum tutorem de medio tollere statuit. Quod ut efficiat, momentum opportunum est. Henricus enim intrat et litteras a Catharina scriptas legere aspernatus coniugi tradit legendas. Misericordiam simulans, ut ipse legat miseraeque querelis indulgeat, blanda voce maritum orat. Generositate certans atque novum amoris exemplum daturus rex filiam in matris exilium se relegare statuisse declarat. Responsura, ut dicit, litteris spretis, re vera, ut venenum chartae admisceat, veniam petit Catharinae scribendi, simulque suspiria ducit ex intimo pectore, tanquam dolore secreto esset cruciata. Quaerit ex ea causam doloris Henricus, cui in speciem invita respondet: aliquem esse, cui minus, quam Mariae se favere. Coniugis amatae desideria sibi praecepta esse professus Henricus nomen poscit personae ingratae. Vulseium Anna denuntiat. Eodem momento milites a cardinali expulsi cum Pasquino superveniunt de Vulseii superbia et crudilitate conquesturi. Supplices insequitur cardinalis ipse minis et opprobriis propter tantam protervitatem, sed subito exterritus obmutescit, quum regem in colloquio videt cum protervis, nec diutius dubitare licet, quin ipsi supplicis partes suscipiendae sint, postquam audiit dictum, ut domibus offensoris devastatis et divitiis direptis milites offensi offensam ulciscantur. Ita repenti de fastigio deiectus, ab oppressis derisus, miserum se sua prudentia delusum intelligit. Ne mulier sibi exitium pararet veritus Catharinam piam relegavit Annamque impiam ad summos imperii honores extulit. Interitum pro praesidio sibi ipse paravit. Quam vana et inanis sapientia, qua siderum regimini se imperaturum iactabat! Animo depresso, aegroto, sui ipsius metuente in campos aufugit et loca deserta mendicus vagus, vestimenti

negligens, viarum ignarus neque curiosus. Ita ad hortulum pervenit secretum, unde vox canora dulces sonos emittit, vetus carmen modulans suavis tristitiae plenum. Verba auscultantis sorti mire apta flores exhortantur, ut, quam rapide fortuna mutetur, canentis exemplo discant, qui heri prodigium fuit, hodie vixdum umbra sui ipsius est. Vi fatali impulsus, ut propius accedat, Vulscius mulieres quas cantantes audivit, affatur, quae sint, parum suspicatus. Mendico ab illis extemplo recognito altera torquem dat aureum pretiosissimum quem in manibus tenebat. Miratus donum tam splendidum scire cupit, quae sint generosae. Velis detractis adspicit Catharinam reginam et Margaretam amicam, cuius frater Reginaldus Polus torquem illam aureum reginae exuli fidei suae pignus miserat. Quo adspectu turbatus strepitu accurrentium audito metuens, ne ipsum capessitum veniant, praecipiti fuga in saxa proxima fertur, unde desiliens mortem sibi ipse consciscit. Qui apud reginam cum strepitu adveniunt, centurio et milites sunt litteras regias tradituri. Necem dant reginae eae litterae veneno comparatae. Rex autem, dum omnibus deliciis gaudere videtur, tyrannide sua laborat. Formidine et diffidentia cruciatus omnes metuit, odit, auscultat. Ostio, aulaeo, parietibus occultus aures fatigare solet, ut aliorum consilia animosque exploret. Ita Carolum legatum ad Bolenum adire ubi sensit, colloquia auscultat. Legatum cum regina colloquendi veniam petiisse audito. Annam ingressam suspicione crescenti observat. Carolum eam auxilium rogare ad bonum quoddam perfide subreptum recuperandum intelligit. Regina, postquam ceteras abire iussit, quid intendat, se bene intellexisse confessa. Henricum sibi numquam non odiosum fuisse declarat, coronae gloriam, non maritum se in eo quaesivisse, antiquo in antiquum sponsum se flagrare amore obtestatur.

Tanta animi levitate, tanta perfidia efferatus Carolus

Circem eam appellat a se posthanc fugiendam et epistolis amatoriis periurae feminae ad pedes abiectis recessit. Testis occultus erat Henricus qui, quum Anna exiit, chartam humi iacentem colligit, manifestum uxoris proditionis documentum. Statim centurioni vocato praecipit, ut reginam prehendat prehensamque in turrim, famosum urbis carcerem, abducat. Boleno patri terribili iudicium filiae causae committit. Is iustitiam in omnes, etiam in progeniem suam se vindicaturum esse affirmat. Ruinae incredula, centurionis praeceptis contemptu repulsis, ad regem regina supplex pervenit et centurionis castigationem implorat. Laudat Henricus militis ardorem obedientiae, admonet, ut imperatum faciat, foeda scelera reginae vituperat. Tum Bolena se perituram cognoscit. Fortunae suae maledicit stolidae, quae amygdalo similis inopportuno tempore floruerit, nivali vento post brevem Favonium casura. Patris iudicio capite damnata ultimum subit supplicium. Regem valde poenitet, quod in Catharinam tam iniuste consuluerit. Poenitentiam suam publice professurus exulem revocatam in integros honores restituere decernit, quum a nuntio de Catharinae repentina morte certior fit. Sola manet Maria filia, in quam amoris renati insignia cumulet. Eam Philippo Hispaniae regi nupturam a toto populo reginam Angliae creari iubet. Ipse senatu convocato lugentem in curiam introducit. Bolenae corpus panno velatum, quod ante solium iacet, transgressi ambo gradus adscendunt. Deinde patri Maria gratiam habet publicam, quod istius mulieris puniverit improbitatem. Quo facto praeco edicit, ut omnes iureiurando fidem dent legitimae regni Anglicani heredi. Consentiunt, si Maria fidem obligaverit suam, ne rebus religionis interim reformatis infesta priorem statum restituat.

Negare volenti Margareta persuadet, ut ecclesiae salute respecta, aliter agendi tempus opportunum venturum esse sperans, in praesentia dissimulet. Itaque dum „accipio“ alta

voce quaerentibus respondet conditionem quaesitam mente excipit, digna quae discipula sit eorum qui reservationis mentalis doctrinam instituerunt. Magno populi applausu, omnibus gaudio exultantibus, tubarum strepitu spectaculi fluis

---

Fabulae quam enarravimus si fontem quaerimus, Nic. Sanderi de origine ac progressu schismatis Anglicani libros tres Calderonem legisse iam F. W. V. Schmidt feliciter comprobavit. Sanderum illum, Elisabethae adversariorum fanaticorum principem in Hibernia, ubi rebus suis in Britannia periclitantibus refugium quaesierat, rebellione orta post magnam cladem Hibernorum anno MDLXXXIII in saltibus fame perisse constat. Talem virum històriam sine ira et studio scripsisse praeter veri similitudinem est. Nihil igitur miramur, si Henricum, Elisabethae patrem, incestus agit reum atque Bolenam ex eo natam dicit. Calderonis autem tantam calumniam aversati temperantia laude digna est. Neque, quum insignes a Margaretha susceptas consideremus partes, suspicari inopportunum erit, Reginaldi Poli cardinalis famosum de unitate ecclesiae libellum poetae notum fuisse. Quo libello Henricus, postquam Bolenae sororem ad satietatem habuit, Annam petiisse fertur, haec autem „pudica“ mulier nisi uxoris dignitate induta regis voluptati morigerari noluisse perhibetur. Et hanc calumniam Calderon prorsus neglexit. Si tamen historiarum res eum aliter atque nos intellexisse perspiciatur, reprehendere nequimus. Historiae enim quas dicimus, nihil sunt, nisi summa quaedam de rebus ante nos actis notionum ac iudiciorum, quae sive memoria maiorum sive reliquiis exploratis formavimus. Ut autem

memoria et explorandi facultas differunt ab homine ad hominem, ab aetate ad aetatem, ita historiae numquam eaedem sunt. Omne hominum genus, ne dicam singulorum unus quisque, in modum suum sibi componit res, omne saeculum suos rerum scriptores habet. Hispanus fidei Romanae ardenter addictus ut regnum Henrici illius octavi aliter iudicet atque auctores qui reformatorum doctrinam profitentur, necesse est. Praeterea poetae historiam libere tractare licitum est, quae licentia non regulis universis nec praeceptis magistrorum, sed mentis cultura poetae ipsius et spectatorum finita est. Id enim opus maximam adsequitur gloriam, ubi omnes quae vera aut pulchra ipsi desiderant, expressa inveniunt. Vera autem quae sciunt aguntque et pulchra quae admirantur hominum culturam constituunt. Quibus rebus respectis Calderonem cum Shakspeario comparare pretium habet, praesertim quum Anna Bolenae descriptionem ab utroque factam consideremus. Neque enim dubium erit, si quis paulum diligenter observaverit, quin duae nationes, non duo poetae tantum descripserint. Apud Britannum Britanniae recens gloria et novae religionis triumphus refulgent in splendida Annae Bolenae, matris Elisabethae, pictura, utque mater pulchritudine et amabilitate, sic pater Henricus, liberator patriae ab imperio alieni iuris, fortitudine animi, sapientia, rerum peritia excellit.

Apud Hispanum Hispaniae a Britannis cladis inflictae memorem et, quod ecclesia spoliata atque oppressa esset, indignatum, eadem Anna, quam totius sacrilegii credit auctorem, monstrum impietatis fit horribile, execrabili superbia inflatum. Quae descriptiones inter se contrariae minus prodigiosae videntur, si inter rerum scriptores eandem fere discrepantiam reperimus, ita ut usque ad hunc diem firma de Bolenae noxa aut innocentia sententia nondum lata sit. Sunt enim qui etiam ab Antonio Froudii iudicio dissentiunt, quamvis id permagna sagacitate ac multorum documentorum

recens exploratorum studio valeat. (17. A. Froude, History of England from the fall of Wolsey etc. Leipzig, Brockhaus. 1861. vol. II. pag. 286 etc.) Annam autem alicui datam fidem violasse constat, etiamsi, quis sponsus fuerit, incertum sit. Herbert et Cavendish viri nobilissimi, qui Vulseii vitam scripserunt, Percy quendam fuisse, principis a Northumberland filium natu maximum affirmaverunt: adolescens ipse de hac re a iudice interrogatus, dum reginae causa agitur, constanter infitiatus est. Carolo Francisci regis legato Calderon sponsi partes attribuens Nic. Sanderum auctorem secutus est. Neque res omnis verisimilitudinis expers. Namque Bolenam puellam aliquot annos Lutetiae moratam esse non est dubium. Iam anno saeculi XIV comitem Mariae Henrici VII. filiae Ludovico XII nupturae eam in Galliae caput venisse et inde anno saeculi XXIV cum Catharina Henrici VIII uxore Londinum rediisse pro certo habemus. Sed in societate, quae intra magnificas Francisci regis aedes versabatur, cuiusque facetiam ac levitatem admiramur, dum libros quos Cl. Marot, Despérier, Margaretha regis soror composuerunt, legimus, quis dubitat, quin femina tam tenerae aetatis, vitae inexperta, tot illecebris circumventa, licentiae aura contagiosa tanquam undique perflata, animi levitatem quam morum austeritatem facilius induerit? Quis miratur, si malas adulatorum artes, ambitiosorum artificia, muliebrem viris amorem iniciendi astutiam melius didicerit, quam rectam et asperam virtutis viam? Neque igitur adulatio, qua Vulseii potentissimi inops captare studuit benevolentiam, neque ingratitudo qua fautorem periclitantem regina oppressit, cum tali animi levitate pugnant. Bonis terrae otiose frui, nec metu domini, nec flagitationibus mendicantium vexata vita desideranda et aliis visa est. Quantumvis igitur miseranda sit infausta et cruenta sors atque expiatio culpae crudelis videatur, nullus tamen innocentiae fidei locus est. Exstant nimirum litterae, quas dicunt a Bolena ad re-

gem scriptas, dictione et argumento admirabiles, quibus per Deum se insontem attestatur, doloris altitudinem generosa quadam erga regem misericordia temperat, summam in Dei iustitia fiduciam ponit. Exstant autem haud secus supremi iudicii acta, cuius sententia multis flagitii, incestus, parricidii criminibus convicta capite damnata est. Quum vero in numero iudicum praeter nobilissimos Angliae viros nomina legamus Thomae patris et propinquorum, quid valent verba, quorum nullum nisi eloquentia testimonium veritatis est? Penes quemvis certe iudicare est, utrum ream feminam de culpa sua verba splendide mendacia composuisse, an concilium tot illustrium virorum, ut uni soli serviliter obsequerentur, reginam, ne dicam cognatam, damnavisse innocentem, atque sua sponte sororis et filiae supplicio publico aeternam familiae suae ignominiam conscivisse credendum sit. Quodcumque autem iudicium de hac re apud posteros est valiturum, nostra interest Calderonis artem in Bolenae pictura accuratius inspicere. Tum autem digna, quae consideretur, coniunctio est, quam poeta inter fidei iacturam et morum pravitatem instituit. Superbiam enim Annae ut impietatis causam ac fontem denuntiat, superbiam eiusdem naturae, qua Satanas inflatus apud Miltonum coeligenis bellum infert et vigorem exhibet inexhaustum, inexpugnabilem, nullis inferorum tormentis fractum. Ut indignatione male repressa Lucifer Deum dominum appellat et, dum ore sonat precum voces, rebellionis in animo volvit consilia, sic Bolena invita et indignata reges salutat atque in desertis feris imperare, quam in aulae pompa maiestati inservire hominum profitetur. Puella mentem parum humanam ostendit. Nobili loco nata a parentibus qui amentur dignissimis, formositate insignis, omnes artes liberales docta, hominum societatem intrat triumphatura, amicitiae et amoris beneficiis cumulanda. Sed animus eius nullo alterius amore commotus, nullo bene-

ficio obligatus videtur. Ruptis omnibus amoris et pietatis vinculis, a patre ipso condemnata, sola ac deserta manet in rebus adversis, tanquam divulsa sit a toto genere mortalium. Neque ullum iis communem habet luctum: nec poenitentiae nec misericordiae in hoc pectore locus est. Nulla inter recti conscientiam et malam cupiditatem lucta. Ab initio cupiditas in virtutem insitam dominatur. Id solum aegre fert, quod ingenti superbiae suae modum facit sive finem ponit. Impune omnia facere, id regem esse censet cum Memmio apud Sallustium. Nihil eam miseret sponsi crudeliter delusi, reginae benevolentissimae in exilium pulsae, amici fautoris in miseriam exacti, patris senis ad filiam capitis damnandam compulsi; minime cunctatur honestam obscuritatem cum nefanda gloria mutare; nihil dolet, quod turpem mortem tantis peccatis emerit, nihil metuit, dum coram iudice supremo rationem redditurae discedendum est. Fortunae solum lamentatur inconstantiam, quasi fortunae esset improbis constanter favere. Non ita ferox interit Ricardus ille tertius, quem Shakspearius ut summae perversitatis exemplum nobis proposuit. Tot tantisque sceleribus feliciter perpetratis in tyranni pectore conscientia nondum extincta, timor vindicis cuiusdàm supremi nondum sublatus est. Coerulea luce fulget candela nocte ante diem fatalem, quum solus in tentorio ingenti metu experrectus umbras eorum, quos occiderat animum opprimere sentit et in auribus suis resonat sententia damnationis mille oribus pronuntiata. Talis anxietas Bolenae menti ignota. Quare Anna ista similitudinem habet memorabilem cum Alhalia in Racini tragoedia. Alhalia quoque fidem deseruit patrum et omnibus naturae vinculis, quae hominum societatem colligant, dissolutis, culpae suae conscientiam perdere videtur, interitum fugit et ulcisci cupit, Deo resistit adeo, ut ultimis ante necem verbis puerum innocentem exsecretur, quae exsecratio prorsus effectum suum habet. Quum vero homines sint, qui sceleribus

imbuti omnis humanitatis expertes, belluarum ferocitatem et vivendo et moriendo imitantur, ut daemones horrendi esse videantur, summi quidem poetae, quamvis et monstrorum talium perscrutati naturam foedam depingere artis dignitate servata possint, tamen defectum quendam in hominibus tam perditis virium, quibus natura nostra praedita est, aversati similibus picturis rarissime operam dederunt. Impietatem, ut ita dicam, humanam modo esse permittebant virtutisque germen vitiis obrutum, sensus ille intimus boni ac mali discernendi, ut appareret, curabant. Luctam videmus acerrimam in Phaedrae incestae vel Medeae truculentae pectore furere inter malam cupiditatem et bonam voluntatem; neque conscientiae cruciatus aut Clytaemnestrae apud Aeschylum aut Ricardo illi desunt apud poetam Anglicanum. Tum animi et timore et misericordia commoventur: timemus, ne nosmet ipsi fragilitatis humani quam conspicimus, afferamus specimen, miseremur eorum, qui tanta ruina fragilitatis poenam solvunt. Odium autem solum atque horror in pectora penetrant, quum scelus non iam res praeter naturam nostram, sed altera videtur ipsa natura facta. Qui religioni cum ardore servire volunt, iis poetis potissimnm extremae malignitatis personae placere videntur. Nec dubitare potest, quin Calderon quoque Bolenam penitus perversam describens fidei catholicae vindicis sibi partes assumserit. Perspicuum enim est, sub Bolenae figura ecclesiam Anglicanam ab Henrico fundatam odio et contemptui prostitutam esse. Ut Lucifer superbia contra Deum rebellasse dicitur, ita Bolena ab ecclesia deficit, quae humilitatem et obedientiam praecipit, parique animo omnes fidei antiquae desertores defecisse Calderon, ut multis aliis testimoniis manifestum est, credidit. In universum autem doctrinam ullam vel optimam defendere artis parum expedit perfectioni. Omnis enim doctrina, praesertim quum ad mores pertinet regendos, definita, absoluta, peremptoria est: contra hominum natura infinita,

imperfecta, innumerabilibus rebus inter se diversis temperata ac determinata. Necesse igitur est poetam, si doctrinae ardenter inserviat, humanam varietate sua et variabilitate privare naturam et singulas res, ceteris non minore observatione dignis neglectis, nimio studio tractare, id quod quia bene intellexerunt alii poetae, pectus humanum perscrutando contenti, nulli religioni addicti esse, nullam de republica regenda doctrinam amplexi visi sunt.

Secundum Annam Henricus principales dramatis agit partes. Vir studiosus, scientia sua superbus, boni malique cognoscendi avidus, cupiditatis imperio succumbit. Ipso ingenio suo, quod peccatorum suppeditat praetextum ac bonam speciem, tentationi magis obnoxius, regia potestate, ubi delirare coepit, terribilior est. At vitia eius intra humanae naturae fines sunt. Nulla in eo vis male agendi ab initio omnino dominatur. Affectus in eius pectore valde diversi confligunt. Cupiditas, quum vincit, non tamen sine lucta victrix est, et quum rex ministri perfidi lenociniis circumventus vitio indulserit, in iniuria perpetranda iniuriae conscius se ipsum reum fatetur. Astra nimirum, dum insanit, in culpa furoris sui ponit, nec tamen ullo momento ignorat, se eiusdem culpae poenam meruisse. Denique, quid mali foedo amore suo paraverit, ubi sero comperit, vero dolore afflictus laesos beneficiis reconciliare studet nec minorem in expiatione erroris, quam in errore ipso ponit ardorem.

Ceterum, quae ab Henrico facta Calderon scripsit, pleraque a scriptoribus memoriae prodita sunt. Libellum de septem sacramentis Leoni papae dedicatum anno MDXXI Henricus contra Lutherum composuit. Pontifxeit Romanus, qui die X mensis Octobris eiusdem anni dedicationem accepit, auctori fidei defensoris gratiam agens contulit titulum, quo usque ad hunc diem Angliae reges singulari usurpatione utuntur. Divortium, quod Henricus cum Catharina fecit uxore, tantum abest, ut repentinum fuerit, ut per sex annos

totius Europae concilia, litterarum universitates, iurisconsultorum corpora, singuli viri auctoritate et peritia eminentes, non vago rumore suscitati, sed de industria consulti acriter de eo deliberarint et disputarint. Factum est tandem anno MDXXXVI. Eodem anno Catharinae et Bolenae obitus. Die XXIX mensis Ianuarii regina relegata, non veneno sed aegritudine confecta e vita excessit, die XIX mensis Maii Bolena ultimum supplicium subiit.

Neque Vulseii, quantumvis parum grata sit, ita uti Bolenae pictura offendit. Minorem ingenio et moribus, quam re vera eum fuisse constat, magnum cardinalem poeta depinxit. Est verum scilicet, magnam eum operam navasse, ut pontifex maximus fieret. Quae ambitio tamen in tali viro non illicita dicenda est, qui easdem certe atque aemulus Adrianus proferre potuit facultates nec dignitate nec experientia inferior fuit. Immo apud Calderonem, quamvis malis artibus se triumphaturum speret, rei petitae magnitudo, iter tam longum a cunis in carnificis tugurio usque ad sedem pontificalem, tanta obstacula seu vi, seu prudentia superata: haec omnia efficiunt, ut admirationem quandam ei recusare nequeamus, qui tantum opus tanta industria moliri ausus est. Dissimulatione et adulatione se profecisse et profecturum esse fatetur, quae vitia, quamquam omnino vituperanda, tamen ingrato animo multo minora sunt. Ingratus enim animus aliorum virtutibus, dissimulatio et adulatio aliorum vitiis obviae sunt. Vanitas, non virtus, adulatione delectatur ac fallitur, et odii, quod veritas parit, experientia saepissime dissimulationem et blanditias gignit. Ingratos igitur, quia generositate laesa virtutem ipsam extirpare tendunt, Italorum poetarum princeps haud immerito in infima tartari regione collocavit. Huius vitii expers Vulseius, cuius hominis ab infimo loco ad summos honores elati superbia cum reginae superbia conflictat, ignominiae illatae persequitur ultionem, beneficia accepta malis infligendis non exsolvit. Malae ambitionis

eius imperiosae nemesis apparet eo, ut is, qui in rebus secundis timeri quam amari malebat, in rebus adversis immoderato timore pessum detur.

Talis autem ignavia, qua poeta cardinalem periisse finxit, iniusta gloriae eius detrectatio est. Liberalis bonarum artium fautor, alterius litterarum universitatis Anglicanae conditor fatum obiit eorum, qui tempestatibus tumultuosis ingenio superiores, sed inferiores audacia ab audacibus superantur. Grandia in animo volvebat consilia de totius Europae conditione politica permutanda. Veritus ne domus Austriaca in dies potentior facta in cetera imperia dominaretur, operam dedit, ut familia in Anglia regnans cum Francisci domo quam arctissime iungeretur, quo patriam potissimum ab Austriae ambitione et inimicitia imminente tutam fore haud insipiens arbitrabatur. Hanc ob rem divortio favebat, non quo Bolenae ambitioni inserviret. Metum autem Catharinae superstitiosum rerum scriptores cardinali quoque tribuunt. Ricardi Scelleii in libro, quem de prima causa divortii scripsit, haec legimus: „Catharina ita stomachata est, ut de Vulseii potentia minuenda cogitationem susciperet: quod ille cum sensisset, qui ab astrologo suo accepisset, sibi a muliere exitium imminere, de regina de gradu deiicienda consilium iniit.“ Cardinalem crystallum magicum domi habuisse alii narrant, quae superstitiones hominibus illius saeculi communes erant.

Catharina regina regum Hispaniae nobilissima filia summo cum amore a poeta descripta est. Omnibus virtutibus excellens nobilem superbiam cum pia humilitate in animo iungit. Nihil tamen in ea videmus illius vitam mundumque perosae pietatis, quae rebus terrestribus omnino spretis coelum solum spectat omnique humanitate tanquam exuta nec metus nec spei locum habet. Nimis fortasse poetae referebat, ut impietatis piam reginam cecidisse victimam ostenderet, quum tragoediae effectui, ut mihi quidem per-

suasum est, melius expedivisset argumentum necessitatis, qua talis mulieris, qualis regina erat, animo infracto fatum suum vocantis interitus aliis invitis evasisset inevitabilis. Et quum admirabilis sit solitudinis descriptio, ubi Vulseiius misere vagans reginae exuli fortuito obviam venit, (id quod vere fieri non potuit cardinali iam sex ante annis defuncto), finis tamen reginae veneno ab Anna praeparato morientis, minus commovet animos, quam sublimis illa mortis scena apud poetam Anglicanum. (cf. Henry VIII. Act. IV. sc. 2) Religionis studium, quod, ut martyrem faceret Catharinam, poetam impulit, etiam efficit, ut in fine tragoediae fides catholica triumphans spectatoris menti obversetur, quamvis hanc triumphi speciem nisi pia fraude Mariae Calderon praebere nequierit.

In Caroli legati partibus stili quem vocant exculti egregium habemus specimen, ad id genus dictionis accuratius cognoscendum aptissimum. Nec verba, quae Pasquinus ineptus facit, studio indigna sunt. Profundam sub ludricra forma condunt sapientiam mali venturi praesagam, verum falsa specie indutum dignoscentem.

Si vero, postquam singulas partes consideravimus, ad totius dramatis compositionem mentem vertimus, admiratio nostra Calderonis artis minime minuitur. Sine mora omnia ibi tendunt ad finem propositum. Luctam intuemur virium inter se contrariarum ab initio ita instructam ac dispositam, ut exitus e longinquo praevisus magis magisque fiat inevitabilis. Suam quaeque dramatis persona actionis partem bene moderatam exhibet. Effectus tamen tantae artis plurimis nostratium eo debilitatur, quod singula ornamenta displicent. In primis stilus ille quem dicunt excultum male cultae dictionis ab iis reputatur specimen. Sed, quamvis illam opinionem refutare nolim, praeiudicio saepius, quam causa cognita et bene considerata ita iudicari existimo. In universum enim consuetudo potius quam ratio efficit, ut res aliqua

placeat aut displiceat. Opus enim est discernere pulchrum quod placet, discernendi autem facultas in singulis natura diversa et diverse exculta est, et consuetudine excolitur. Admove rusticum quendam ad immortales Raphaeli tabulas, iuxta quas posueris picturas minimi pretii recentissimas, sed colorum splendore oculis rusticis blandientes, num incertum est, utras noster praelaturus sit? Discendum est pulchrum videre pariter atque discendum est verum intelligere. Prius autem ferme de novis rebus iudicatur, quam observatio earum consuetudine satis exercitata sit. Ita fit, ut saepissime unus vir ceteris ingenio praestans iudicium ferre soleat singulare, quod talis viri auctoritate vigens multitudinis animis sensim insinuatur, donec omnes mirantur, quod paullo ante nemo contemplari dignatus est. Ita Newtonii doctrina apud Gallos Voltairii auctoritate, systemate Cartesiano everso, triumphavit. Ita architecturae quam gothicam dicimus apud nostrates admiratio Goethio auctore praecipue nata est. Ita Calderon ipse, qui fratres Schlegelios illustres gloriae suae praecones invenerit, subito in Germania famam principis poetarum nacturus fuit. Quae fama si post primum impetum minuta esse videtur neque unquam ad eundem gradum atque Shakspearii pervenit, prima causa discrimen est, quod intercedit inter ingenium nationum Romanae et Germanicae originis. Qui poetas Anglicanos admirari didicit, nullo modo etiam de Calderonis ingenio iudicare doctus est. Uterque aetatis et populi sui nobis reliquit culturae imaginem non perituram, sed imagines ita, uti populi, differunt. Facilis nimirum labor philosophorum est, qui nonnulla praecepta paucorum operum studio abstracta pro regula et mensura habent omnis pulchritudinis. Error hic idem est atque eorum qui meditatione philosophica leges rerum naturae detegere voluerunt, quae experientia et observatione deteguntur. Artium ac litterarum et scientiae mundus, quantumvis valde differat a mundo corporum inertium, tamen leges suas

habet nascendi et pereundi, quas observatio sola eruit: quibus cognitis tantum de virtute operum singulorum diiudicandum est. Atqui, quoniam litteris omnis fere mentis cultura reveletur, cuius populi de litteris iudicare vis, etiam eius mores et historiam cognoscere necesse est. Ex quo patet, leges illas magna ex parte easdem fore atque leges, quibus populi alicuius progressus in culto humano et civili reguntur. Longum est de harum legum natura hic disserere; id solum commemorari oportet, graviter nos falli, si, prout nobis nunc placeant aut displiceant, opera magni aut parvi aestimanda putemus. Ita putaverunt perperam illi qui, ut Thomasius vir illustrissimus, Homerum ipsum divinum nugarum appellabant inventorem, cui Hans Sachs quem vocant anteponendus esset; itemque doctores illi Parisini saeculi septimi decimi, qui Homeri et Aeschyli stilo increpantes poetas aequales omnibus Graecis et Latinis multo superiores declarabant; cuius erroris exempla adeo abundant, ut enumerationis finis desideretur. Sin vero iidem qui ita falso iudicaverunt, rationem habuissent auctoritatis qua poetae vigebant illi apud cives suos per tot saecula incolumi, non dubitandum est, quin iudicia tulissent minus levia et temeraria. Nam tum sensissent, primum locum iis poetis deberi, qui cultum populi sui tam perfecte expresserunt, ut posteris magistri et exempla sint. Qua re et Calderonem qui primum locum obtineat. dignum esse perspicuum erit. Hispanorum enim, ut nullus alius, vates et magister est. Errores eius vitia et saeculi et nationis sunt ita, ut veritatem augeant mundi imaginis, quam pinxit. Atque, ut pauca adiciam verba de stilo exculto tam frequenter vituperato, vituperari mihi videtur potissimum, quia pugnat cum nostro ingenio, cum nostro sermone, cum nostris optimae dictionis exemplis, minus autem mihi pugnare videtur cum ingenio Hispanorum. Id enim et in antiquis carminibus ordinem praefert mem-

brorum paene arithmeticum, parallelismum quendam aliquando similem Hebraeorum, qui non solum in rimarum et sonorum repetitione, vero etiam in cogitatis ipsis reperiri potest. Nimis fortasse stropharum structura apud Calderonem, ut in Caroli versibus A. I. sc. IV., eam docet propensionem.

Singulas solito primi versus exhibent comparationis instituendae partes, quas ultimi, saepissime syllogismi imitantes figuram, resumturi sunt. Neque negandum est symmetriam illam et rimarum abundantiam adiutam vocalium dulcedine auribus blandiri Hispanorum, qua voluptate nosmet ipsi caremus.

Omnino vero Calderonis gloria naevis paullum obscurata id circo magis solis imitatur splendorem. Nemo est perfectus; quandoque bonus dormitat Homerus. Dum modo poeta verum sequatur et mentem habeat diviniorem, qua aliorum mentes capessat ac teneat, non interest, quod saeculi sui indulget erroribus atque imbutus est sapientia imperfecta a posteris infinite emendanda et perficienda. Verum ingenium semper sibi exigit monumentum aere perennius, cuius fama etiam in alienas penetrabit gentes. Musae enim in excelsis domum tenentes omnium gentium sunt omnesque inter se conciliare student, qui sursum tollunt animos atque perducunt ad cultum humaniorem.

VITA.

Natus sum Carolus Augustus Hugo Ulbrich Liegnitiae anno XXX h. s. Carolo et Carolina parentibus, quos adhuc inter vivos esse maxime laetor. Fidei addictus sum evangelicae. In gymnasio Liegnitiensi, quod tunc sub M. Koehlero, V. cl., florebat, per septem annos versatus, anno L Vratislaviam me contuli, ubi matheseos, historiae naturalis, linguarum studiis deditus docentes audivi per triennium et semestre hosce viros: Braniss, Bunsen, Duflos, Frankenheim, Glocker, Göppert, Gravenhorst, Kirchhoff, Kummer, Scharenberg, de Siebold. Deinde in familia nobili Silesiae superioris praeceptoris munere functus sum usque ad annum LV, quo Rhenum petii, ut contubernalis essem nobili viro von der Leyen-Bloemersheim, vocatus. Quod maxime desiderabam, tinera faciendi ita mihi datus est locus. Lutetiae, ubi optimus ille vir atque artium liberalium amantissimus hiemes conterere solebat, multas et varias auscultavi lectiones illustrium professorum: Baudrillart, Berger de Xivrez, Cl. Bernard, Egger, Nisard, de Loménie, Saisset, Démogeot, Patin, Garnier, Havet, St. Marc-Girardin. Per annos LVII et LVIII in Helvetia Turici in scholis docendo intentus fui. Prope finem anni LVIII a nobili von der Leyen invitatus Lutetiam repetii, unde mense Aprili Londinum profectus sum, Anglorum linguam, mores, litteras penitus cogniturus. Bonnam reversus scholas viri

illustrissimi frequentavi **Monnard**, quem subito ereptum omnes nunc lugent. Ineunte anno LXI ad scholam publicam Crefeldensem vocatus, examine pro facultate docendi feliciter superato, per triennium praeceptoris ordinarii provinciam in illa schola habui, quum anno LXIV a senatu urbis liberae praeceptor scholae superioris Francofurtensis creatus sum, ubi nunc munere fungor.

Sentententiae controversae.

I. *Arabas Hispanis cultu humano superiores fuisse e vocabulis Hispanicis ex lingua Arabica depromptis perspicitur.*

II. *Cum alias ob caussas tum ob artis metricae impedimenta dramata poetarum Hispanorum mirum non est nostratibus prorsus placere non posse.*

III. *Ex eo, quod significationes multorum vocabulorum in malam partem mutatae sunt, effici potest, populos ad maiorem humanitatem provectos esse.*

IV. *Nisi documenta contrarium docerent, facile quispiam argumentari possit, alteram partem libri illius de Don Quijote non ab eodem profectam esse, qui priorem scripserit.*

V. *Neque Baco a Verulamio neque Cartesius novam methodum philosophandi praedicantes, quae sit vera vis ac natura methodi, recte perspexerunt.*

VI. *Spinozae de necessitate doctrina non efficitur, ut liberum arbitrium negandum sit.*

VII. *Geographia vel in philosophandi modos certam vim quandam exercuit.*

